

Sample Formatted Prose Drama

Depositio

DRAMATIS PERSONAE

SACERDOS 1

SACERDOS 2

CONVENTUS (CHORUS)

CANTRIX

ABBATISSA

[p. 108]¹ *Cum autem sancta crux fuerit adorata,*² sacerdotes, de loco predicto³ crucem eleuantes, incipiant antiphonam: *'Super omnia ligna'.* Et choro illo subsequente, totam concinant; cantrix incipiente:

1

SACERDOS 1, SACERDOS 2, CANTRIX, CONVENTUS Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua uita mundi pependit, in qua Christe triumphauit et mors mortem superauit in eternum.

Deferant crucem ad magnum altare, *Ibique, in specie ioseph et nicodemi, de ligno deponentes ymaginem*⁴ uulnera crucifixi, *vino abluant et aqua.* Dum autem hec fiunt, concinat conuentus *Responsorium:* *'Ecce quomodo moritur iustus'*; *sacerdote* incipiente et cantrix respondente et conuentu succinente.

2

SACERDOS 1, CANTRIX, CONVENTUS Ecce quomodo moritur iustus et nemo percipit corde, et viri iusti tolluntur et nemo considerat. A facie iniquitatis ablati sunt iusti, et erit in pace memoria eius.

Post uulnerum ablucionem, cum candelabris et turribulo deferant illam ad sepulcrum, hac canentes antiphonas:

3

SACERDOS 1, SACERDOS 2, CONVENTUS In pace in idipsum dormiam et requiescam.

Antiphona:

4

SACERDOS 1, SACERDOS 2, CONVENTUS Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

Antiphona:

5

SACERDOS 1, SACERDOS 2, CONVENTUS Caro mea requiescet in spe.

¹ See t-note

² See note

³ See note

⁴ See note

*Cumque in predictum locum tapetum **palleo** auriculari quoque et lintheis nitidissimis decenter ornatum illam cum reuerencia locauerint, claudat sacerdos **sepulcrum** et incipiat Responsorium:*

6

SACERDOS 1 **Sepulto Domino**, signatum est monumentum: uoluentes lapidem ad ostium monumenti, ponentes milites qui custodirent illud.

*Et tunc abbatissa offerat cereum qui iugiter ardeat ante sepulcrum nec extinguatur donec ymago, in nocte pasche post matutinas de sepulcro cum cereis et thure et processione resumpta, suo reponatur in loco. Hys itaque gestis, redeat conuentus in chorum [p. 109] et **sacerdos in uestiarium**.*